



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex
Tomorvm Editionem ...

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 ZV 1269

De SS. martyribus Facundo & Primitiuo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)

perro, auitum Longobardorum regnum fuerat adeptus: breuique moriens Luitprandum filium successorem reliquit.

Constantinus Pontifex, cum adeo insigni calamitate Felicem Archiepiscopum, Rauennatesque affectos audiisset, ægre admodum tulit, minimeque rem probauit, quod hominem in sanitatem restitui, non tot calamitatibus affici voluerit. Postea Felix Archiepiscopus relicta hæresi (vt Platina testis est) patriæ ac sedi restituitur, ijs Rauennatis ecclesiæ thesauris receptis, quos Iustinianus Cæsar habuerat. Antequam in exilium pulsus esset, elegantissimo stylo plurima composuerat: atque inter cætera in Danielis desolatione, quæ apud Matthæum Euangelistam habetur, luculentum commentarium: quem sacerdotes sui vix incolumem seruauerunt: quod ipse libros omnes ab se scriptos, cum ob cæcitate expolire, & absoluere non posset, antequam diem obiret, igni tradendos iusserit. Collegit etiã ad vnum, sancti Petri Chrysologi conciones: quod opus, magnam partem adhuc extat, cum commentariis & cætera perierint. Admirabili eloquentia concionari ad populum consueuerat, tantaque religione ac sanctitate post exiliũ floruit, vt multa supra naturam prodigia ex ipso manarent. Exeunte enim illo Byzantij portam: quam ad urbem, gratias Cæsari de restituta patria acturus, se contulerat: cum se quidam claudum simularet, peteretque ab eo, opus sibi aliquid fieri, Cur te, inquit Felix, quod non es facis? Cur illudis? Surge, & seruos Dei irridere nẽ velis. Alij a nauibus haud procul præsto labantur, vt ab eo, quem in egentes munificum, liberalemque sciebant, pecuniarum aliquid elicerent. Quapropter consilio inuito, ex socijs vnum in via iacentem constitunt, cum affirmantes aduenam, iam mortuum, seque ab eo expectare auxilium, in quo sepultura tradi posset. Quam obrẽm vir sanctus palliũ proiecit, quo vestiebatur: mox abeunte illo, socium iacentem vocantes, vt surgeret, exanimem ac verẽ mortuum inueniunt. Hæc Cæsar cum rescuisset, Felicem iubet ad se in naui accersiri: summaque veneratione excepto eo, impetrauit ab homine plurimum renuente, vt manu in formam Crucis deducta, sibi benè precaretur.

Igitur Felix Archiepiscopus Rauennam regressus, post multas virorum sanctorum reliquias, in Vrsiana æde pluribus locis honestissime positas, pateras ex argenteo dono dedit: & superciliarum, cui & carmina inscripserat, & martyrum complures reliquias incluserat, extruxit. Arcas pro aris, ex cupresso conficiendas curauit, ipsamque, vt appellant, saluatorium, vnde Archiepiscopi ad sacra solennia inchoanda, coram populo procedunt, erexit: regiasque ianuas, admirabili opificio carmine exornauit. Tandem verò septimo Calendas Decembris, ex hoc lachrymabili hospicio, cælestem in patriam profectus est, in numerumque Sanctorum adscitus, & in D. Apollinaris Classensis, sepulcro ex marmore, ab ara diuæ Felicis haud procul compositus. Præfuit Rauennati Ecclesiæ, annis circiter xix.

Petrix Felicem penitentem sue sedi restituit.

Opera eius vt perierint pro maiore parte.

Sanctitas eius.

Novit secreta hominum corda.

Ecclesiam suam Sanctorum reliquijs ac varijs vestibus exornat.

Feliciter obit & sanctorum catalogo adscribitur.

BREVIS MEMORIA MARTYRII SS. FACVNDI ET PRIMITIVI, VT HABETUR IN LVCII

Marinei Siculi, Regij historiographi, de rebus Hispaniæ, libro quinto.

IN Hispania præses Decianus, super ripam fluminis quod Seya dicebatur, secus stratam, vbi erat idolum ad immolandum ei, multitudinem gentium congregauit. Erant autem non longè ab eodem loco duo fratres, Facundus & Primitius Christianissimi, qui noluerunt idolo immolare: & propterea accusati apud iudicem, ducti sunt ad eum. Quos cum multis minis exhortatus fuisset, vt idolis immolarent, responderunt: Nos quotidie immolamus Domino Iesu Christo: & nobis optabile est pro eo pati. & sic vsque ad mortem perseuerarunt.

27. Nouẽb.

SS. Facundus & Primitius Christianissimi vsque ad mortem committuntur.